













1724.

- 1<sup>a. b</sup>  
= Alberti, Michael: De terminis animationis foetus  
humani. 2 Sumpl.
2. Alberti, Michael: De singulari Mercurii dulcis usu  
in desperationibus quibusdam morbis.
3. Alberti, Michael: De omni sectionis in pede gravidarum  
usu tuto et salutari.
4. Alberti, Michael: De vaticiniis agrorum.
5. Alberti, Michael: De conscientia medica.
6. Alberti, Michael: De lactorum statu legitimo  
et morbo.
7. Alberti, Michael: De febre pectorali.
- 8<sup>a. b</sup>  
= Boekmerus, Justus Henricus: De variis sacrilegii speciebus  
ex mente juris civilis. 2 Sumpl. 1724 & 1735.
- 9<sup>a. b</sup>  
= Boekmerus, Justus Henricus: De privatione ducis Anne-  
cessionis statutarie ex capite matris. 2 Sumpl.  
1724 & 1737.
- 9<sup>c</sup>  
= Boekmerus, Justus Henricus: De Cyrillo Lucari eoque  
pro re Græcorum emendanda certamina Libri.





10. Coschitz, Georg, Daniel: De diuresi proventriculi  
 ubi et nona
11. Coschitz, Georg, Daniel: De pleuritidis veras et  
~~per~~ peripneumoniam differentis.
- 12<sup>a</sup> Heister, Joannes Laurentius: De iuribus et iudice com-  
 petente Legatorum. 3 Sept. 1724: 1745
- 13<sup>a</sup> Gasser, Simon Petrus: De inutilitate promissionum  
 cum juramento solventium et respondentium.
- 13<sup>b</sup> Gasser, Simon Petrus: De inutilitate promissionum  
 cum juramento solventium et respondentium.
14. Grotte, Petrus: De studiis nostratis in anatomia  
 et physiologia
15. Gruber, Dr. Daniel: Vindiciae Ansthiacae pro aures  
 velleris ordine.





10. ...  
11. ...  
12. ...  
13. ...  
14. ...  
15. ...  
16. ...  
17. ...  
18. ...  
19. ...  
20. ...





DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
CONFessione ÆGRI ERGA  
MEDICUM,

Von der Ehren-Weicht des Kranken gegen den Arzt.

1724 68

Q V A M  
AUSPICE DEO PROPITIO  
Et Consensu atque Auctoritate Gratiöse Facultatis Medicæ,  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

11

PRÆSIDE  
D. MICHAELE ALBERTI,

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO,  
MEDICINÆ ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
DOMINO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO OMNI HO-  
NORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

SUMMISSOQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS  
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS,  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS,  
ANNO MDCCXXXIV. D. MART.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,  
JOH. CHRISTOPHORUS SCHORTMANN,  
BUTTSTADIO - THURINGUS.



Liebo sculpsit.

Impresso Jo. Christian Henckell  
Acad. Frider. Typogr.



DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICAE

DE  
DISTRIBUTIONE AEGRI ERGA  
MORBIDITATEM

AB  
D. MICHAELI ALBERTI  
MEDICO

PRO GRADU DOCTORIS  
IN MEDICINA  
PUBLICAE  
UNIVERSITATIS  
SACRAE  
SAXONICAE  
LITVÆ  
ET  
POLONICAE  
VARSAVIENSIS  
PROMPTU  
SACRAE  
SAXONICAE  
LITVÆ  
ET  
POLONICAE  
VARSAVIENSIS  
UNIVERSITATIS  
SACRAE  
SAXONICAE  
LITVÆ  
ET  
POLONICAE  
VARSAVIENSIS

1784







## PROOEMIUM.



**D**E poenitenti peccatorum  
confessione ita eloquitur *S. Cyprianus* in lib. de laudib. poenit. o poenitentia quid de te novi referam! omnia ligata solvis, omnia clausa tu referas, omnia adversa tu mitigas, omnia contrita tu sanas, omnia confusa tu lucidas,

omnia desperata tu animas; quod verissimum assertum solide & valide confirmat exemplum Davidis, qui cum 2. Sam. XII. v. 13. ad Nathanam dixerit: Peccavi Jeboda, Nathan iterum ad illum dixit etiam Jeboda praeterire fecit peccatum tuum: non morieris: ita poenitentia contrita sanat! eccquis egregius processus inter aegrotantem confitentem & medicum absolventem! cum hac meditatione consentit *S. Augustinus* in Psal. 96. quando eloquitur: Vis esse pulcher? confitere! non enim dixit David pulchritudo & confessio, sed confessio & pulchritudo: Fœdus erat; confitere ut sis pulcher: si amas pulchritudinem, prius elige confessionem, ut sequatur pulchritudo: huc iterum  
A 2 per



pertinet locus parallelus *Pfal. 32. v. 3. cum reticui, in-*  
*terrata sunt ossa mea: multi enim cum Hiobo 31. v. 33. non*  
*exclamare possunt: num texi sicut homo pravitates*  
*meas, ad abscondendum in sinu meo iniquitatem meam: &*  
*Pfal. 32. v. 5. iniquitatem meam non celavi: recte enim*  
*Seneca Ep. 40. dixit: quis medicus egros in transitu curat:*  
 qui enim morbum suum & internam labem non candi-  
 de confitetur, quis medicorum talem absolvere pote-  
 rit? quo diutius enim morbosæ inquisitiones celan-  
 tur, eo certius & gravius depravantur! *Tertullianus* di-  
 xit *initium salutis est notitia peccati: idem etiam valet de*  
 naturaliter ægrotantibus & salutem anhelantibus, qui  
 non modo satis sæpe suorum morborum prægressas  
 causas scire possunt, sed & illas medicis suis, quos ac-  
 ceiserunt significare & sine pudore confiteri debent:  
*Seneca quidem dixit Ep. 25. Pudor quam diu in animo alicu-*  
*jus duravit, aliquis erit bonæ spei locus: ubi præcipue de*  
 pœnitente pudore, cum agnitione & convictione ma-  
 le facti conjuncto, differit; nos vero hoc loco de mo-  
 roso pudore cum malitiosa errorum suorum celatione  
 conjuncto, agimus, à quo posteriori se liberare pati-  
 antur ægrotantes, ne majora in pericula incidant: nam  
 huc etiam spectat, quod *Epicætetus* monuit: *si vis bonus*  
*esse, primum scito quod malus sis; ita verum est Senecæ* te-  
 stimonium *Ep. 33. Pars magna bonitatis est, velle fieri bo-*  
*num, hæc voluntas vero utpote ingenua probatur, si*  
 quis suam pravitatem sine fuco & mollitie intuetur &  
 confitetur; hos attinet monitum ejusdem *Senecæ Ep. 28.*  
*quantum potes te ipsum coargue: inquire in te, accusatoris*  
*primum partibus fungere, deinde judicis. Quemadmo-*  
 dum



dum vero multorum morborum indagatio satis ardua & lubrica est, quoniam illorum latebræ & diversæ sedes satis intricatæ, inventuque difficiles sunt, ut propterea vulgo in artem Medicam magna imperfectio & incertitudo devolvi soleat, ita tanto magis hæc difficultas augetur, quando fonticæ quædam causæ occultantur, ut interea ipse morbus firmiores & intimiores radices agat; quas serius extirpare si non impossibile tamen difficile & laboriosum est: quin plane aliquando contingit, ut ipsi medici non semper singularum circumstantiarum rationem habeant, sed de illis ne quidem solliciti, demum experiantur, quam pernicioso effectu illæ se manifestent, quibus si in principis salutaria consilia & auxilia ordinata fuerint, periculosi quandoque effectus atque successus haud emanaverint: quin contingit aliquando, ut de diversis phænomenis medici dubitent, an æque evenire queant, donectandem cum damno illa observent & in admirationem ducant, de quibus illud valet, quod *Plinius lib. 7. c. 1.* elocutus est, *quam multa judicantur fieri non posse, priusquam sunt facta:* & si secundum *D. Augustinum de civit. Dei. lib. 22.* *non omnia morborum genera in medicorum libris sunt comprehensa,* ita sane multæ etiam morborum causæ & specialiores circumstantiæ implicatæ & obscuræ sunt, quæ omni studio detegi & illustrari debent, & si aliquando medici singularium talium circumstantiarum obliviscuntur, tunc ipsi ægrotantes suis medicis succurrere, haud tamen otiosis quæstionibus illos fatigare debent: Imo dum quandoque peculiaris quædam medicorum dogmata singularem talem morbo-



rum indagacionem impedire solent, ut diversi effectus & affectus in dubium vocentur, ita ægri illos admone-  
re & certiorare debent, quando speciales suorum mor-  
borum circumstantias non celant, sed confitentur: ita  
v.g. si interdum medici naturæ prudentes actiones in  
corpore humano & œconomia vitali morose abnegant  
& hanc considerationem præjudicante animo pro me-  
ditatione pigra & otiosa reputant, tamen sæpe tales ca-  
sus occurrunt, quos ipsi naturæ adscribere tenentur, ut  
necessitate coacti credant, quod antea rejecerant, cui  
posteriori cogitationi omnino ægri sincera morborum  
suorum confessione, ansam præbent, ut hic merito  
quadret illud *Euripidis in Hippolyto δέυσσεαι φεσίδες σ-  
φάρεσσαι*: Et quoniam ægrotantes sæpius sua culpa salu-  
tarem artis medicæ successum, vel morosa vel vere-  
cunda occultatione causarum & circumstantiarum di-  
versarum singularum & fonticarum impedire possunt  
& solent, ob id præsentī Inaugurali Specimine de  
CONFESSIOE ÆGRI ERGA ME-  
DICUM differere placuit, quo hæc artis offen-  
dicula significantur & evitentur, subinde etiam  
adistente divina benedictione salubres Medicæ  
artis successus adjuventur & promoveantur: Cui  
nostro proposito, ut gratia & directione sua  
Benignissimus Deus adsit, humillime  
precamur.



§. I.

**C**onfessionem aegri erga Medicum hoc themate urgentes & proponentes, mox in officio hujus tractationis reminiscimur duplicis confessionis, quæ aegro necessaria & primaria, qua anime salutem, secundaria, qua corporis conservationem & sanitatem respicit, illa ad Deum, hæc deinde ad Medicum tendit; quare D. Gregorius in cap. 38. Eccles. ita inter alia commentatur: ad Deum primum confugiendum, qui verus & omnium præstantissimus Medicus anime & corporis affectiones curare potest, & referente Rejesio Camp. Elys. quest. iuc. Quest. XIII. n. 2. p. 143. similiter consultit Magist. Hist. Evangel. c. 57. quia constat, quod pro peccatis quandoque egrotet homo, medicus visitans egrotum primum debet eum monere ad penitentiam & confessionem, ne peccato manente, tanquam ferro in vulnere, frustra sit malagma apponere, cessat enim vindicta divina, si confessio præcurrat humana: unde inter nonnullos Doctores illa quæstio ventilanda & decidenda proponitur: an medicus ante omnia teneatur infirmis suadere confessionem? hanc quæstionem præcipue intelligunt de confessione peccatorum erga Medicum anime, sive sacerdotem, quo crimina, quæ anime morbi sunt, prius expientur: quare mortale peccatum medicum committere, si hoc officium neglexerit, aut omiserit, Canonistæ judicant in cap. cum infirmitas de pen. & rem. idem officium a medico in omni morbo postulant Carrarius de Medico n. 28. seq. & Codronchius de Christiana med. rat. lib. 1. cap. 17. conf. Zacchiæ Quest. Med. leg. lib. 6. tit. 1. qu. 4. neque tantum ægrotantes talia peccata confiteri debent, quæ anime morbum attulerunt, sed & illa peccata, quæ corpus etiam morbosum reddiderunt, & artem medicam ullo modo offendere & impedire possunt: ob id Hippocrates in Lib. de dec. ornat. §. X. text. 14. seqq. monuit: observare oportet ægrotorum peccata, per  
qua:



que multi saepe mentiti sunt, in assumendis his, quæ ingerenda exhibentur postquam exosas portiones non accipientes, aut pharmacis datis, aut alia curatione adhibita, perempti sunt: & factum quidem hoc non ad ipsorum confessionem vertitur, verum medico culpa imputatur: Si itaque medicorum culpæ adscribitur, quando egrotantium peccata non observantur, quæ haud sunt confessi, ita tanto magis ipsi egrotantes suam conscientiam lædere minime debent, quando scitu dignas & necessarias circumstantias celant, aut morose reticere haud verentur: hinc Celsus dicit: plerique propria culpa pereunt, præsertim mulieres, dum pudore persuse secretiores corporis affectiones revelare non audent, cum tamen necesse foret, ut liberius de his conquererentur: & quando de medico Hipp. Sect. 1. aph. 1. dicit: oportet autem non solum se ipsum exhibere, quæ decent facientem, ita insuper addit: sed etiam egrotum, ne videlicet hic aliquid committat aut omittat, quod curam morbi implicare & impedire potest: explicat hæc Hipp. verba sed & egrotum, Heurnius: parendo & fideliter referendo: quæ duo sunt ægri officia: id quod notanter etiam inculcavit Hollerius; alias multis modis minus obtemperans patiens periti & prudentis artificis officia eludere & invertere potest: neque quidem credula & superstitiosa plebs in fatua illa opinione & lepida persuasione sustentanda, quasi medici ipso etiam ægro vel tacente & simulante plurima ad morbi indolem pertinentia momenta præsciant, ut propterea medicis nihil denunciandum esse varii creduli patientes autument, & hac ipsa sua circumstantiarum morbosarum occultatione medicorum peritiam explorare & tentare gestiant, quæ vana persuasio omni modo animis adeo credulorum hominum eximenda est, ne de hinc propria sua culpa tenacis & obdurati sui cervicis pœnas luere debeant: quare ægri etiam suis medicis, quorum capacitati & dexteritati post Deum vitam & corpus suum afflictum concediderunt, confessionem ingenuam debent, de



de qua nobis hoc themate differendum erit, qui enim per divinam benedictionem a medico *salubritatem* sperat & postulat, ille etiam hanc *labem* significet, quæ medica arte sanari debet, alias ignoti nulla cupido: & quicquid in medici *notitiam* non pervenit, illius *emendationi* operam ipse impendere haud potest: & quemadmodum *conscientiosus* medicus ægrotantium *animæ & corporis* salutem omni modo promovere studet, ita ipsum vicissim affligit, si *patiens* quicquam *sciens* volensque occultat, unde *eventus curæ* exoptatus esse haud potest: quidni itaque cordatus medicus *jure* meritoque non in sui, sed in *ægroti* commodum licitam & *necessariam* talem confessionem urgere poterit! Et hæc sane confessio interdum adeo *rigorosa & seriosa* esse debet, ac spiritualis confessio in animæ salutem directa esse solet: parva enim circumstantia *quandoque* in rebus medicis variat rem: haud tamen hæc confessio quoad *intentionem* medici regulas *prudentiæ, honestatis, castitatis, necessitatis, utilitatis*, maxime vero *pietatis* transgredi debet, ne sub prætextu *officii & juris* medici peccaminosus & *novitatis* avidus animus illucescat, qui deinde alia occasione & forte etiam inter *pocula & epulas* has *fidus* expectorationes & *confessiones* garrula & *nugaci* lingua blaterat & propalat: *conf. Ewald de Taciturnitate Medici*: ut propterea huc etiam quadret *side, sed cui, vide*: confitete, sed cui, provide: etenim non *omnium* pectora *sigillo* sunt obfirmata! & quæ interdum sub *sigillo confessionis* alicui commissa sunt, illa interdum bonum *convivium*, bonus *amicus*, aut ipse animus inconstans, variabilis, negligens, obliviosus & *malefidus* recludit & manifestat; ob id in variis casibus medicis *prudencia* opus est, ne medicus in *revelandis & occultandis* diversis circumstantiis *conscientiam* suam lædat; *conf. Bobnius de offic. med. duplic. Part. I. c. 4. p. 94. 95.*

§. II.

Quando de ægri confessione erga medicum hoc loco  
B disse-



differere constituimus, tunc per *Agrum* non modo hominem *vere morbo* quodam correptum aut *causa morbosa* affictum, sed & *talem* intelligimus, qui *ægritudinem* aliquam *simulat*, sed *verum morbum* sub *alia larva* celat, imo qui *morbum dissimulat*, adeoque illius *causam* atque originem *supprimit & celat*: *Confessio* vero versatur circa *fidam, tempestivam & completam* manifestationem & denunciationem *illarum* circumstantiarum, quæ *Medico* ad *morbi præsentis* curam scitu necessaria sunt: *quales* vero illæ circumstantiæ sunt, ex consequentibus inclarescet: neque tamen *omnes* illas circumstantias, quas *ægotantes* confiteri tenentur, *vitio aut peccato* illis vertere placet, licet *lethum & morbus peccati* sint *thesaurus*; quamvis *citra naturalem* aut *externam culpam* adeoque cum *sollicitudine, molestia & afflictione* animi aliquando *diversi morbi* homines corripiant, quos *revelare* ipsos *postea pudet*, sed magis cum *cordolio* occultare placet; attamen in foro *medico* variarum *morbosarum causarum* occultationes occurrunt, quæ magis *ominose* existunt, ut propterea quandoque *patiens peccata* quædam *medico confiteri* teneatur: è numero talium *peccatorum* alia sunt *omissionis*, alia *commissionis*, imo quædam *etiam promissionis* peccata: sed cum *priorum* indoles jam admodum quoad *titulum* cognita sit, ita *posteriora*, videlicet *promissionis* peccata illa vocamus, quando *patiens aliunde infectus, lesus, seductus, corruptus* ex *promissione* quadam, ipsi *facta, causam morbi tenaciter* occultat, adeo ut quandoque *de vita* periclitetur, quæ, si illam *causam mature* aperuisset, adhuc *salvari* potuisset; *quales* casus interdum in *desperatis* *Subjectis* evenire solent: proinde *varios ægotantes* ab *ingenua* morborum suorum *declaratione deinet* vel *tedium vite*, vel *conservatio fame* vel *morositas* animi: unde *ultimam* circumstantiam quod concernit, nonnulli *patientes* adeo *tenaces* in *morbis suis* existunt, ut non nisi *precibus & suspiriis confessiones* de *suis morbis* obtineri queant: ad  
hanc



hanc *morositatem* referimus quorundam *ægotantium* *fordidam avaritiam*, qui propterea medicos & medicamenta *averfantur* & si medici convocantur, *morbos suos* adeo *extenuant*, ne artifex ullis *sumptibus* in pharmaciam ansam præbeat, hinc ut plurimum tenaces & *avari* tales *ægotantes* sub ejusmodi *cordialibus* eloquiis se reficiunt & medicum *securum* reddunt, sie könnten nicht viel Arzenei vertragen, sie hätten eine gute Natur, die sich von selbst leicht erholt, es würde nur ein kleiner Ubergang seyn, man sollte sie nur mit Arzeneien verschonen, &c. hinc nonnulli tam diu *morborum* & *dolorum* suorum gravitatem occultant, donec tandem *sero* medicina paretur; qualia hominum ingenia vulgo nominant, harte eigensinnige Leute, die es nicht besser haben wollen &c. Peccata *omissionis*, quæ *ægri* *confiteri* debent, illa sunt, quando nonnulli homines illa *adminicula* ad *sanitatem* conferentia neglexerunt, inde vero in *actuales* morbos incidunt, quorum *causas* significare ipsos iterum *pudet*, v. g. si quidam homines *parum* biberunt, adeoque alvi *exciccationem* & obstructionem, sanguinis *spissitudinem* sibi contraxerunt, aut quando *hiemali* tempore necessariam hypocaustorum *calesfactionem* intermiserunt, proptereaque multo *frigori* se exposuerunt, aut quando ordinariis stimulis *excretoriis* non obtemperarunt, indeque in suspectam alvi *adstrictionem*, flatulentiam, primarum viarum inquinationem inciderunt; quales causas admodum *abscondunt*, quoniam minus *ingeniis* respectibus interdum nituntur: ita *omittendo* etiam peccatur, quando nonnullis *valedudinariis* idonea & *congrua* ordinantur auxilia, quæ vero ipsi contemnunt & *negligunt*, interim medicum in illa *opinionem* relinquunt, ac si hæc ordinata *adminicula* *adhibita* fuerint, interea morbosa illorum afflictio magis magisque *increbescit* & simul ipse medicus citra sui culpam in *hesitationem* aliquam conjicitur, ad quam itaque prædictum peccatum *omissionis* occasionem suppeditavit; quibus ipsis



tantum aliqua specimina horum peccatorum *omissionis*, quæ *occlusa* asservant patientes, cum tamen illa bona fide *tempestive* patefacere & confiteri debuerint, si medici *bonam* intentionem & *salutare* officium *allevare* & promovere voluerint, proponere insuper ad alia *similia* omissionis peccata *detegenda* ansam præbere placuit: quemadmodum in *quotidiana* praxi clinica varii tales occurrunt casus, in quibus interdum medici exclamant, wer hätte daran denken sollen, daß dieß oder jenes da hinter siecke: quare omni modo patientes medicorum *solicitudinem* & officium *sublevare* debent: Et dum peccata *commissionis* magis evidentia & *communis* sunt, ita illa multoties illatebrantur & id non sine exitio *vite* ac *sunitatis* dispendio & præjudicio, quorum in speciali deductione aliquot specimina indicanda erunt: sed sane in hac etiam meditatione exclamare possumus *Psalm. 19. v. 13. Errores quis intelligit? ab occultis nunda me!* quam *cordate* vero ægri *medicos* suos æstimare & tractare debent, tam *prudenter* & *modeste* medici vicissim ægrorum suorum *confessiones* considerare & *applicare* debent, ne *imposterum* ægri *deterreantur*, quo minus facile medicorum *fidei* se committant, quando forte ipse *medicus* suo *patientii* nullam fidem servat: inde est cur præcipue *sequior* *sexus* confessionariis Sacerdotalibus æque ac medicis, adhuc *innuptis*, præcipue quidem *junioribus*, haud fidunt, neque suas *animi* & *corporis* ægrotationes ipsis enunciant, dum varia *prejudicia* ex ipsorum *æate* & *calibatu* metuunt, sibi que ominantur: ob id *medicus* animi *prudencia* & *sinceritate*, nec non *vite* *integritate*, talem se præbere debet, ut patientes medici *fidem* agnoscant & *bona confidentia* ejusdem dexteritati *secure* & *sincere* se committere queant. Quod vero hanc confessionem in *titulo* nominaverimus *eine Ohren-Beicht*, non ita intellectum volumus, quasi sub fulmine *anathematis* talis *Pontificalis* esse debeat confessio, qualis in *Concilio Tridentino Sessione XIV.* tractatur & quam *B.*

*Chem-*



*Chemnitius in Examine illius Concilii p. 385. 386. refellit; sed quod velut ad imitationem æger medico suo nonnulla specialia peccata, ex quibus morbus ipsius originem traxit, quasi in aurem dicere & sub sigillo Confessionis interdum denunciare debeat; propterea vero non minimas illorum errorum circumstantias; quæ medico scopo haud quadrant, recensere teneatur: unde in capite de Confessione concilium Tridentinum exemplum a medicis sumit & dicit: Si enim erubescat ægrotus; vulnus medico detegere, quod ignorat, medicina non curat; an vero ab hac in medico processu circumstantia, ad illam confessionem, quam Pontificii urgent, absoluta valeat argumentatio, aliis decidendum relinquimus: interim huc pertinet, quæ Ranchinus de consult. rat. c. 4. eloquitur: ut enim in confessione peccatorum occultatio vitiorum animæ mors est, sic corporearum affectionum relatione suppressio malorum vitæ & salutis ruina.*

§. III.

Absit vero a Medico, hoc caractere digno, illa invidia & imperitia, ut nuda hac confessione niti gestiat, siquidem prudentis, capacis & periti medici signum est, si certis ac solidis principiis & dogmatibus imbutus, non multis confessionibus & conjecturis patientem suum defatigat, sed propria signorum & causarum commemoratione non nisi placide annuentem invenit patientem: sin secus cum eodem processerit. tunc velut per torturam æger ad confessionem urgetur, qui modus ædiosus & medico haud conveniens & honestus est: in intricatis itaque morbis bene circumspiciat artifex, ne quicquam contra occultam adhuc causam committat, quod deinde ex sinistro rerum successu & eventu, deplorare tenebitur, ita ut talis error de hinc medici culpæ accenseatur: ob id peritus medicus singula talia devia præoccupare & placida ac modesta inquisitione ad detegendas tales intricatas causas, etiamsi hæ interdum minus honestæ esse videantur, occasionem subministrare de-



bet: caveat tamen insuper ne ulli *injuriam* faciat & quoad famam aliquem offendant, quando alicui *malam imputare* causam non erubescit: v. g. si quis gravi cacochymia aut scorbuto laborat, insuperque quædam pathemata experitur, quæ *aliquo* modo cum Luis venereæ infectione convenire videntur, in quo casu contra *prudenciam* & modestiam medici fuerit, si *indiscriminatim* a tali patiente confessionem infectionis *venereæ* extorquere ipse veller: sicut itaque *multæ* conjecturæ aut *confuse* quæstiones, medici *insciam* & *imperitiam* testantur; ita vicissim immaturæ, *crude* & æquivocæ tales præsumptiones atque imputationes ipsius *imprudenciam*, temeritatem & *barbariem* proderet: etenim facile *prudens*, peritus & attentus medicus, posteaquam *placide* & modeste nonnullas causas, etiam in *abstracto*, recensuerit, ad quas ipse sua *præsumptione* inclinatur, & de quarum *certitudine* vel *tacitam* & placidam aliquam patientis confessionem expectat & exoptat, agnoscat, anteaquam *irrubescat* & condescendat, ut propterea *fœmina* honesta & pudica non *crasse* enunciatione confiteri teneatur, quod v. g. labore Mensium vel deficiente vel excedente fluxu, quod procidentiam uteri gestet, quod fluore albo detineatur, quod tumore quodam in muliebribus correpta sit, quod ex inconsulta aut immodica cohabitatione cum marito varia ingravidationis pathemata provocata, alia vero exacerbata sint, aut quæ similia pathemata *Varelloni de pudendorum morbis* describit &c. cui *directe* confessioni, si talem causam artifex peritus *suspiciatur*, facile ipse *modesta* & prudente compellatione *prævenire* potest, adeo ut *verecundie* patientis in tantum parcat, qualis civilitas, comitas & *puritas* in cogitationibus, verbis & factis omnino singularis virtus etiam *medica*, medicisque commendanda est: qui vero scurrantur & obscœna ac impudica nugantur, illi & Deo & honestis hominibus exosi sunt: nulli itaque conscientiosus medicus nedum quidem *verbis offensam* struere invigilet, sed ut *Deus* omni-



omnibus *verbis* & *factis* glorificetur, sollicitè annitatur: Proinde etiam in *generali* adhuc hujus thematis commendatione haud oblivioni tradere convenit, quomodo in *Praxi* medica aliquando tales casus occurrant, in quibus *confessio* ægri vel *plane non*, vel *difficiliter* desiderari & expectari potest, ut propterea talem *defectum* vel *reliqua* artificis capacitas, prudentia, *scientia* & *peritia*, vel illorum qui ægris *adstere* solent, hominum denunciatio *supplere* debeat: hinc tenellulorum *infantium* cura ex parte etiam ex illa ratione *ardua* & intricata est, quoniam illi non nisi *externis* quibusdam signis suas *morbosas* afflictiones indicare sciunt; interea vel *nutrix*, vel *geraria* diversos commisso *errores* confiteri possunt: quem in arte medica peritum latere potest, quantum *iracundia* & *terror* *nutricum* infantibus *lactantibus* nocere queant: & quot non tenelluli infantes *vita* sua modo privati sunt, dum *nutrices* *subsidiarie* mercede conductæ, vel commissum *ira* furorē, vel perpeſsum gravem *terrorem*, vel *libidinis* exercitæ rabiem, vel immodicam sui corporis *exaſtuationem*, vel *menstruam* purgationem contumaci *reticuerunt* affectu, donec illi infantes maximo *morbi* impetu inde correpti, velut immolati & *morti* traditi fuere: & ita communiter infantes lactantes *adversa* valetudine conflictari observantur, quando ipsorum *nutrices* *Menstrua* purgatione laborant, adeo ut interdum *Epilepsie* atrocissimæ & difficiliter curabiles abhinc provenire soleant, quæ observatio etiam in *Historia morborum Vratſlaviensium* p. n. 37. & ex eadem in *Actis Erudit. Lipsiens.* An. 1701. Mensē Novembr. p. 523. ad p. 54. annotatur & recensetur: præterea ad *confessionem* talem medicam *inepti* etiam sunt *Senes consummati* iterumque repuerescentes. Die wieder ganz kindisch werden, quippe qui sui ipsius *obliti* interdum nihil quicquam de suo morbo medicis referre possunt, qui artifices cum ipsi sciant *senectutem* ipsam *morbum* esse, tam à *communi* sua notitia



medica, quam ex *adstentium* & parabolanorum relatione in curandis illis morbis dexteritatem suam testari debent: Proinde de morbis suis parum confiteri possunt, *peregrinantes*, quando subito *arduo* quodam morbo corripuntur, ut in *via publica*, tanquam *semi mortui*, semi suffocati, semi refrigerati, syncoptici, apoplectici inveniuntur, quales patientes utpote semi mortuos medici assument & sua cura fovere solent: tales ægotantes tandem, quando *ad se* revertuntur, suorum morborum *causas*, initia & invasiones indicare & suspicionem *intentati homicidii* declinare solent: ita etiam in hominibus *fatuis*, *deliris*, soporibus detentis &c. æque minus confessio necessaria atque utilis *urgenda* aut expectanda est.

§. IV.

Et quid de *stupidis* hominibus atque fruticibus sperent medici? quales homines ad *ignobile* plebis genus relati non raro occurrunt, qui ferme ne quidem medico significare possunt, quid *doleant* & quantum doleant, nisi se *ægotare* sciant: si forte medici inquirunt an alvi excretio libera sit, tunc se hæc non attendere regerunt, imo interdum plane *contraria* referunt, & medicum, quando forte alias rerum suarum *incertus* est, penitus *confundunt*: interrim etiam evenit, ut ejusmodi ignobile vulgus facilius *sine* *artificio* medico convalescat, vicissim vero *splendida* pharmaca ægre perferat: Non minus ad tales confessiones medicas sæpe *inepte* videntur *foeminae mollioris* & *sensibilioris* animi, quæ vel ob *aversionem à medicamentis* & *medicis* causam adversæ suæ valetudinis *tenacissime* abscondunt, vel ob *metum mortis* medici accessum ægerrime perferunt, dum sibi persuadent, quod *tunc periculum* vitæ aut certus mortis metus immineat, *quando* medicus accersitur, hinc morbi causam *tam diu* celant, quamdiu citra evidens periculum possunt, propterea vero causæ morbosæ *eo usque* indulgent, ut illa postea sæpe haud *eradicari* queat: vel non.



nonnullas circumstantias pectori suo *includunt*, quando *certas auxiliorum medicorum species incontinenti affectu atque præjudicio averfantur*, imo ob id eloqui minime *erubescunt*, sic volent lieber sterben als dieß und jenes an sich gebrauchten lassen: quid magis *fæmellæ delicatule* abhorrescunt quam *VSnæ & Clysterum* applicationes; qualia remedium specimina ut declinent, acriter suas afflictiones, suos dolores & interdum suorum morborum causas *obtegunt*, donec tandem *serius* mali *acerbitas* & causa aperitur: & quæ non multifaria parantur *glaucomata* à *sceminis* quibusdam in negotio & titulo *inhonestæ & culposæ ingravitationis*? de qua circumstantia inferius pluribus agere placet: Insuper etiam in hanc confessionem medicam paulo *difficilius* inclinant diversa hominum *Temperamenta*, videlicet *Cholerici*, quando periculum *famæ* suæ pati sibi persuadent & causam forte *minus honestam* alteri denunciare debent: id quod si etiam fecerint, antea medici *fidem* valde explorant & hanc causam in ipsorum animum tanquam sacrarium reponunt, proinde vero illius *sacratissimam* occultationem satis morosis & *ambitiosis* monitis *desiderant*: *Melancholicos* quod attinet, tunc ipsi quidem miseriam suam satis *dolorosè & humiliter* testantur & confitentur, interim illas *causas* quæ ipsis *pretiosæ & præjudiciosæ* esse possunt, satis tenaciter etiam celant, donec *vitiæ periculum* admodum manifestum immineat, ubi iterum *serius* aliqua confitentur, quæ *maturius* denuncianda fuissent: ita v. g. ægrius melancholicus infectionem *veneream* confitetur, quia hactenus pro homine *probo & integro* videri voluit: & si talem labem aliquando *maturius* denunciat, tunc *alios* à quibus se infectum esse conqueritur, accusat, & omnem maculam *proprie turpitudinis à se* avertere studet: *Sanguinei* contra temperamenti homines admodum *faciles* sunt ad confessionem, quia animo molles & *flexiles* sunt & mortem insuper valde *metuunt*, illi totum thesau-  
C
rum



rum errorum suorum, proptereaque etiam causarum morbi-  
ficarum promunt, adeoque libera & spontanea propensione  
medico ad diversas ipsi scitu necessarias causas explorandas  
ansam præbent, imo sæpe plus referunt, ob merum mali even-  
tus, quam quidem necessarium est: cujusmodi homines ita-  
que non oclusum pectus habent, sed facile etiam propriam  
suam turpitudinem confitentur: quamvis vero vulgo dicatur  
quod hominibus propriam turpitudinem confitentibus non  
facile fides sit danda, ut propterea inter JCTes inclaruerit dictè-  
rium *L. causas 16. C. de transact. quod turpitudinem propriam  
allegans non sit audiendus*, tamen hæc lex non est absoluta &  
universalis, sed in re medica multoties contrariis exemplis  
enervari potest: unde ex Sanguineorum confessione plurima  
Confessionariorum sacerdotium & medicorum officio inservi-  
unt: Phlegmatici non quidem sponte facile confitentur, sed  
ob torpidam indolem multarum circumstantiarum obliviscun-  
tur, quarum tamen adhuc reminisci possunt, de illis interro-  
gati, non facile easdem abscondere solent, interim illorum  
indoles ita constituta est, ut medicus tales homines patien-  
ter & sollicite expiscari & exquirere debeat; & in ejusmodi  
hominibus paulo duriori monito & seriosa excitatione me-  
dicus scrutinia sua instituire potest: Interea tamen etiam sin-  
cerissime & ab omni præjudiciosa verecundia liberæ confessio-  
nes medico minus perito parum utilitatis conferunt, qui vel  
illas tantum circumstantias observat, amplectitur & applicat,  
quæ suis opinionibus quadrare videntur, vel pesthabita etiam  
omni fida confessione suis consuetudinibus in medendo & me-  
dicaminibus nititur, aut cum sonitis circumstantiis, quas pa-  
tiens confessus est, magis perturbatur & ad præjudiciosam in-  
constantiam medicam seducitur, ut hodie hoc, cras aliud sen-  
tiat faciatque: hinc ingenuus patiens merito ad sollicitam  
precautionem admonendus est, ne imperii medici manibus  
se submittat, aliis vero ex aliorum periculo dehortatio  
danda est ne damnum minus circumspecti ægrotantis per-  
modum indirectæ consolationis demum deplorare teneantur,  
quan-



quando exclamant: hat er sich doch nicht wollen rathen, und vor diesen oder jenen warnen lassen, er hats nicht besser haben wollen: *Periti contra medici*, quantum per *artis regulas* fieri potest, parcunt etiam in eo *agrorum suorum afflictioni*, ne harum rerum *propriam confessionem morose* urgeant, quas nunc *cognitas & forte aliunde sufficienter perspectas & exploratas* habent, ne *præter necessitatem* patientem magis *torqueant* affligantque: Exinde facile liquet, quod hæc confessio, de qua *disserimus* ad plane *reservatos casus* se extendat, ut propterea in *causis communibus* illam urgere nulla requirat necessitas: hinc præsentis *thematis tenor* in *praxin clinicam* specialissimam duci meretur, ubi *commercium medico* occurrit, cum *singularibus* hominum *moribus & morbis*; unde liquet quod *præfens tractatio* ex parte ad *Politicam medicam* pertineat, licet principalis *scopus artis medicæ emolumento* magis quadret: Sed cum in *minimis* peccare æque *culposum* sit, ita *minima* quæ videntur in *re medica*, sæpe in *magnum* erumpunt *damnum*, ob id *necessarias confessiones* *agrorum* artifex non *vilipendere*, sed æque in *artis commodum* amplecti & applicare debet.

§. V.

Hæc Confessio *agri*, quæ *medico* usui respondet, *varias* circumstantias concernit, quas hoc ordine in generali adhuc tractatione annotare lubet: *confiteantur* itaque *patientes* *Ætatem* suam, quia hæc ad *morborum congruorum & incongruorum* scrutinium scitu omnino necessaria est: utut vero admodum *juniorum* & deinde in *senio* *constitutorum* *atas ordinariæ* quidem paulo facilius *dijudicari* potest, tamen *varii* homines haud semper *sux ætatis externum* gerunt *characterem*, ut *senes* interdum *adspectum juniorum* & *juvenes* *faciem senilem* præ se ferant, in quibus *judicium & calculus* de *ætate* facile aberrare potest; quoniam itaque *virgines adulteres* de *ætate* sua *pudore* afficiuntur, hinc aliquando hanc *ætatem* tenaciter occultant, quam tamen *medicus* propter *rationem*



nem virium, negotii *Menstrui*, *in gravidationis*, organorum muliebrium dijudicandorum, in hoc sequiori sexu &c. nosse debet: sic vicissim natu majores & seniores ob *metum mortis* & nimium vitæ amorem *senectutem* suam abscondunt, aut de eadem interrogati, morosam responsonem dant se vel nescire, vel incertam pro certa ætate significare posse; imo si quidam nonnullorum provecam ætatem admirantur, cum aliquo tædii affectu regerunt, Nu! sind dann 70. Jahr auch ein Alter, ! ich bin noch nicht 100. Jahr alt, dahin ich noch lange Zeit habe, gedencke also wohl ein solch Alter wie mein Vater oder Groß-Vater zu erreichen: idem etiam faciunt *masculi adultiores*, qui tamen characterem virorum juvenum tuentur, alte Jung-Gesellen, qui de ætate sua interrogati, sæpe respondent, man solle sie lieber etwas anders fragen: Deinde ægrotantes suis medicis rationem *Educationis* suæ in diversis casibus confiteri debent, an *laute* an *vere misere* entriti sint, ut ex *variatione* status vitæ medicus deinde *morborum* præsentium genesin condigne inquirere queat: ita enim facile colligere licet, quomodo homines e *pinguiori* culina & plena mensa educati, postea in varios *corruptos* morbos incidunt, si in *eximiam* & sensibilem *penuriam* conjiciuntur; qualia *confusa* morborum schemata interdum medicus vix satis *solide* perspicit & agnoscit, si præsens *metamorphosis* occultatur: evenit enim ut tales homines *viliori* & *ignobiliori* huic statui *adsuescere* haud queant: quemadmodum vicissim homines qui olim *angusta* mensa cibum capere sueverunt, quando in meliorem statum transeunt, neque epulis suis *circumspecte* utuntur, facile fonticas experiuntur agitudines, quas pinguis & *opipara* præparavit culina: unde multi in *puorem* sibi ducunt, quando vel *pristinam* paupertatem vel prægressum splendidum vitæ statum confiteri debent: Porro confiteantur etiam suis medicis *cordati* & de *sanitate* sua ingenue solliciti ægrotantes *prægressum* reliquum *vite genus*, secundum res *non naturales* observatum & accommoda-



modatum: ubi iterum contingit ut homines qui *licentiosus*, immoderatus, negligentius, laxius, luxuriosius, *intemperantius* vitam hactenus transegerunt & contumeliose tempus perdiderunt, quovis modo sua crimina suaque vitia occultare & *palliare* contendant, imo dolose dissimulent, adeoque per modum admirationis exclamant, sic könnten sich gar nicht entsinnen, wie sie doch zu dieser oder jener Krankheit kommen wären, sie müßten doch vor ein göttliches Kreuz ansehen, cum tamen *conscientia* illorum longe aliam *responsionem* ferat, quam os quæstionem declamat: ita enim ex Polybio Seneca Ep. 43. dicit: *nullus neque testis tam formidabilis, neque iudex tam gravis est, quam Conscientia, que mentibus cujusque insidet & inhabitat*: Et proh quam turpe est, de vita antea acta pudore corripit! ob quam etiam rationem multi suam vitæ genus tenacissime abdunt & oclusum gerunt: alii contra patientes, qui antehac in *defectu* peccarunt & licita, proba, honesta & ingenua subsidia neglexerunt, quibus tamen frui ipsis licuit & qui propterea per *negligentiam* peccarunt, hos etiam pudor perfundit, si hanc suam *turpitudinem* confiteri & propalare debent: Præterea ægrotantes *morbos prægressos* non occultare, sed medicis, de illis non semper sollicitis, significare debent, quo ex illorum statu commodius ad *præsentes* morbos iustas conclusiones instituere ipsi queant, quam observationem indirecte commendarunt *Illustr. D. D. Stabius de Metaschematismo Morborum, de Morbis Consequentibus & D. D. Præses in Disp. de Morborum Consensu*, etenim quibus hæc observationes rite cognitæ sunt, illi facile calculum suum nobis addent, quantum referat morbos *prægressos* indagare & cum *consequentibus* debite connectere: quoad hanc confessionem vero diversimode graves *defectus* occurrere observantur, quando forte patientes, si illi morbi *denuo* propalentur, *erubescunt*, v. g. si quædam femina ex fluore albo prægresso hysterica reddita fuit, si ex Mensium enormi fluxu in cachexiam incidit, si ex alio organorum muliebrium affectu prævio, nunc



in novum morbi s. hema delapsa est &c. quales casus etiam in viris occurrere solent; inde etiam est cur *incipiantes* podagrici, suum malum adeo *palliare* velint, ut jam *Seneca Ep. 53.* enunciaverit: *pedes dolent, articuli punctiunculas sentiunt: adhuc dissimulamus & aut talum extorsisse nos dicimus, aut in exercitatione aliqua laborasse: dubio & incipiente morbo quaeritur nomen: qui talavia cepit intendere & utrosque pedes dextros fecit, necesse est podagram fateri: & Lucianus cecinit: ubi vero & alterum dolebis jam pedem: sens ingemiscis: at ego hoc unum dixero, hoc illud est: hoc podagra, nolis an velis:* Neque tantum tales *prægressos* morbos confiteri refert, sed & interpreti ut iidem patientes etiam fateantur, quænam interdum *proprio ausu* & instinctu *experimenta* fecerint in nonnullis *prægressorum* morborum: etenim non raro contingit, ut quando quidam homines *malis artificiis* & tentaminibus vires suas suæque vitæ œconomiam *depravarunt* & perturbarunt, ut tunc medicus accersatur, qui postea *emendare* debet, quod illi perdiderant: quem tamen *errorem* commissum multi audacter & tenaciter negant & jovem lapidem jurant, quod *nullum* experimentum & periculum unquam fecerint: ubi tamen merito hoc loco indicare deberent ægrotantes, quomodo aliquando facilius medicus ipsis subvenire posset, si *prava* sua artificia adhibita *bona fide* confiterentur: denique etiam de *personalibus Consuetudinibus* & *dispositionibus hereditariis* idem desideramus, ut patientes easdem suis medicis ingenue significent & manifestent.

§. VI.

Posteaquam hætenus generalem, attamen fundamentalem præparationem ad præsentis thematis commendationem præmissimus, ita nunc *specialiori* scrutinio nonnulla *Specimina* significabimus, ubi ægrorum contumacia in *celandis* affectibus morborumque causis, multis fonticis *damnis* ansum præber, ut propterea in talibus casibus maxime *confessio ægrorum* necessaria existat: Non quidem hoc loco multis *repeti-*





petimus, quæ quoad titulum in præcedentibus monita fuere, quomodo multi homines morborum suorum ex *perulantia* provocatorum *causas* occultare soleant, licet in sequentibus etiam nonnulli casus occurrent, quæ hanc observationem *illustrabunt*: Hinc de *Hæmorrhagarum* varia specie tam in *maribus*, quam in *fœminis* aliqua themati nostro respondentia ventilabimus: Quod itaque primo *Hæmorrhoides* in *maribus* concernit, tunc non raro ille *pudor* quorundam animos occupavit, ut *hanc* sanguinis evacuationem quovis modo *ce- lent*, in illo *præjudicio* hærentes, quasi aliquid *effœminati* in suo corpore gerant, dum *sequiori* *sexui* sanguinem è locis, quæ castitas celare & *obtegere* jubet, profundere familiare sit: hinc varii negotii *hæmorrhoidalis* ignari, citra consultationem *periti* artificis in *regimine* & *dieta* varia etiam committunt, imò in *privata* domestica medicatione suscipiunt, quæ *moribus* hæmorrhoidalibus valde *præjudicant*, unde illi hæmorrhoidarii *consequentibus* diversis arduis, imò interdum plane *im- medicabilibus* afflictionibus submittuntur: alii contra *Hæ- morrhoidum fluxu* laborantes non nisi *molestas* concurrentes sensationes consentunt, ipsum vero *actualem* fluxum alto iterum *silentio* sepeliunt, adeoque sua *disimulatione* medicum vel *leviter* negotii hæmorrhoidalis gnarum *seducunt* & confundunt, ut ad longe *aliam* morbi sui causam therapiam suam dirigat: alii vero medici, quibus *Hæmorrhoidum* œconomia & familia *magis* cognita & perspecta est, paulo facilius, dissimulante etiam ægro, ex nonnullis indicatis signis & molestiis, reliquas suas explorationes instituere & formare possunt, ut *verecundo* patienti *occlusum* hætenus pectus *recludant*, hujusque *Hæmorrhoidum fluxus* uberiolem notitiam capeffant: ita talis casus recensetur in *A. N. C. dec. 2. an. 4. obs. 157.* de pastore, qui ex hæmorrhoidalis fluxus occultatione morti præmaturæ subjectus fuerat: Et in hac etiam *obtruncen- tia* hæret sæpe causa cur negotium hæmorrhoidale variis medicis tanquam *rarus* videatur casus, quod tamen sub magis assidua



affidua, *attenta* & prudenti exploratione in *uberiorem* & certiore[m] perveniet notitiam: qui vero semel illo occæcati sunt *prejudicio*, quasi Hæmorrhoides raro contingant, aut *fortuitu* causis nitantur & non nisi ex *accidenti* aliquando *salubritatem* afferant, illi cum *mutis* suis parientibus tanto magis in *solida* Hæmorrhoidum doctrina obmutescunt; sicque magis hanc desideratam confessionem abrogant atque impediunt: Ec quid dicamus de *Mictu Cruento*? accidunt enim interdum casus, ut *mensuris* plene periodis nonnulli masculi sanguinis mictionem experiantur, quam medici nomine & titulo *Mensum in maribus* designare solent, qualem singularem hæmorrhagiam varii medici annotarunt *conf. Rejes Camp. Elyf. quest. juc. qu. 47. p. 581. Fabr. ab Aquapendente lib. 3. c. 13. Arethæus lib. 4. diurnit. c. 3. Zac. Lusitanus Prax. admir. lib. 2. obs. 102. Welschius obs. med. 69. Bartholinus Cent. 5. hist. 33. Andr. Lacuna de method. cur. Pari. 7. Stalpartus van der Wiel Cent. 1. obs. 80. Franckenau Satyr. med. VI p. n. 92. 93.* ob id nonnullos valde *verecundos* masculos hæc insolita Hæmorrhagia, è *secretiori* loco proveniens, valde detinet, quo minus facile morbum suum confiteantur: id quod etiam fieri solet, quando *neonupti* juvenes *plethorici* & floridi habitus corporis in prima thori occupatione minus *castitati* & *moderamine* student, ut aliquando cruentam mictionem experiantur, quemadmodum *prodigam* seminis excretionem alias sanguinis *Sinceri* profluvium è genitalibus excipere solet, restantibus *A. N. C. dec. 1. an. 2. p. 78. Salmutho Cent. 1. obs. 81. Rejesio Camp. Elyf. qu. 44. num. 22. p. 533. Iob. Fragofo in aridoru*: idem etiam contingit, quando *libidinosi* & *hircosi* juvenes *plethorici aphrodisiaca* remedia ingerunt, aut *luxuriosi*, *intemperantes* & *bibosi* sanguine perinde turgidi *diuretica* medicamina assument, quo potui sine *præcoci* crapulæ meru magis in hæreere queant, qui in tali afflictione vel *dolores* conjunctos, vel ipsum etiam affectum indicant,



dicant, *causam* vero versipelli modo occultant: cujusmodi specimina morborum *D. D. Præsidi* satis superque cognita sunt, quæ in Praxi medica occurrere solent. Sed nunc ad *Fœminas* etiam transitus: hæ multo *frequentius* diversas suas sanguineas *veri* purgationes celare solent, nisi vel ex colore, cachectico habitu, asthmatico statu similibusve signis *Mensum vitia* denique annotentur, ubi inopportuna *verecundia* sæpe pessimarum consecutionum causa evadit: tanto magis vero *matura* confessio hujus status scitu necessaria est, quo magis Mensium suppressio *repentina* fuit, quo magis fœminæ sanguine *abundant*, quo magis animi *inacuti*, activi & præcipitis sunt, quo magis de *florido* corporis statu participant, quo magis antehac liberioribus & *largioribus* sanguinis evacuationibus adstueræ fuere, quo magis ipsæ *causæ*, quæ talem *suppressionem* invitarunt fonticæ & *periculose* sunt: neque quidem adeo rarum quid est, quod fœminæ in hoc negotio reticentia sua *prudens* sibi ipsis magnum *damnum* afferant, quin ipso suo incongruo pudore *novis* aliis periculosis *consecutariis* invitandis ansam suppeditent, uti in casu id fufius & solidius explicavit *Excellent. D. D. Stablii de Motu Tonico vitali*; quid quod *diuturna* sua celatione morbi & occultatione causæ id *indirecte* contribuant, quo præsens morbosa calamitas *firmiores* radices agat; quod *verecundia* alios insolitos effectus in corpore humano & affectus provocet exposuit *Cornarius Enchirid. lib. I. c. 3.* sub titulo: *sanguis sponte ex vena in juvene ob verecundiam crumpens.* Et quemadmodum purgamina *uterina* fœminarum variis modis peccant, ita in diversis ejusmodi *vitii* medico significandis, sæpe fœminæ delinquant, quod præcipue valet de *anomalo* Mensium fluxu: quare interdum *legitimum* Mensium fluxum fœminæ *mentuntur*, ut medicum ad *aliam* curæ instituendæ respectum *seducant*, quamvis de ipsarum corio deinde ludatur: sic aliquando *vidue* suas hæmorrhagias uterinas celare solent

D

ne



ne forte in iudicium *libidinosi* uteri incidant, unde vel ipsæ varia in proprio suo corpore *experiantur*, sed & simul satis sæpe in semet ipsas læviunt, vel confusa satis & corrupta interdum relatione *malum & mali causam* consententur, sicut interdum celatum desiderium *matrimonii* etiam in viduis ad varias *Mensium* turbas & *uteri Hemorrhagias* occasionem subministrat: id quod etiam interdum de *junioribus* scæminis valet: hinc *morbidum* induunt adspæctum, ut de illis deinde iudicetur, virgo pallet, ergo aut amat aut ægrotat: utrumque aliquando negant: huc pertinent etiam variæ *aliæ* uteri *Hæmorrhagiæ*, ex *diversis* causis eventientes, velut ex *prima* copula carnali, ex *continuato & immodico* coitu, ex lascivis *saltationibus* ortæ, ex *interna* uteri labe provenientes &c. quas ægerrime interdum scæminæ consententur & sub sacerrimo confessionis sigillo medico aliquando patefaciunt: id quod etiam de *Hæmorrhoidibus scæminarum*, quas confiteri sequior sexus sibi *dedecori* ducit, censendum est: quo perinde *Epidemicæ* quasi uteri *Hæmorrhagiæ* referendæ sunt, quales hac hyeme exeunte variæ *D. D. Præsidi* innotuere. Et id brevibus de nonnullis *masculini & scæmini* sexus *Hæmorrhagiis*, in quibus fida ægrotantium confessio desideratur, annotare placuit.

§. VII.

Dum modo tales casus in *Hæmorrhoidum & Mensium* negotio obvios indicavimus, in quibus ægri aptam occasionem inveniunt, quo medicis suis fida de sui morbi statu confessione succurrant, ita porro alia affectuum specimina significabimus, in quibus ægri *præpostera & retardata* confessione grave, imo aliquando *immedicabile* malum sibi contraxerunt: quod itaque iterum *mores hæmorrhoidarios* attinet, tunc illi aliquando nuda *molimina hæmorrhoidalia* experiantur, quæ vel in *serpiginosis* efflorescentiis, vel *intumescentiis* pustularibus consistunt, quas ægri interdum *propterea* celant, quia in loco *secretiori* malum hoc gestant, hincque illa *spe* se erigunt fore.



fore ut sua *spon*te iterum tale malum cesset & evanescat: interea vero non modo talis afflictio in præjudiciosam *consuetudinem* degenerat, sed & ut in suspectum *ulcerosum & fistulosum* statum delabatur, ansum dant ægrotantes, quem, quia jam *gradu* accrevit, tanto magis præjudicantes ægri, occultare necesse aut revelare *surpitudini* ducunt, donec tandem *gravitate* affectus subjugati & ad incitas velut redacti, *serius* malum corporis sui, quod tam *diu* gestarunt, confiteantur, quod, si in *primis* suis accessibus medico indicatum fuisset, etiam sub gratia Dei facilius levare & emendari potuerit: exinde illud *morale* medicum ducimus & commendamus: quo magis *secreta & pudica* sunt loca, quæ nonnullis *morbis* corripuntur, eo *citius* illa *prudenter* medico aperiantur, quoniam *morbosæ* afflictiones in *talibus* locis admodum *ominosæ & periculosæ* sunt: *serius* enim postea nonnulli patientes inconsultum suum *pudorem* deplorare solent, hinc illæ lacrymæ! ach hätte ich es doch ehender gesagt, vielleicht wäre mir noch zu helfen gewesen: Singularem hujus observationes casum *D. D. Præsides* curæ suæ commissum annotavit, ubi generosa femina 25. annorum cholericomelancholica hæmorrhoidibus *serpiginosis* aliquoties correpta fuit, quæ cum repetitis *abortionibus* alternabant: sed cum illas constanter *occultaverit*, alibi eidem antihysterica, confortativa & embryonis conservationi ac uteri roborationi dicata medicamina ordinata fuerant, quæ vero in eadem non modo *frequentiore* efflorescentiam *serpiginosam* in locis hæmorrhoidalibus causabantur, sed & abortus plane *periodicos* provocabant, donec tandem *confessa* fuerat, quod a longo tempore cum ejusmodi pruriente & *serpiginoso* affectu, quem tam diu celavit, vexata fuerit, cum quo partim *colici* partim etiam *ischiadici* alii affectus concurrerunt: quo malo patefacto & deinde debite tractato huic *intricate* patienti tandem exoptata affulsit medela: *parallelus* corruptus hæmorrhoidalis affectus, diu occultatus, sed eo ipso etiam adeo *depravatus*, ut *immedicabilis* redditus fuerit, obtigit *D. D. Præsidi* in viro, qui



intra trigessimum & quadragesimum ætatis annum fluxum hæmorrhoidalem cum aliquo insolito & suspecto ani ardore expertus fuerat, quem tamen celavit & secundum domesticam curandi rationem emplastrum *miniatum* & de *spermate ranarum* applicuit, inde molestus quidem ardor cessavit, hæmorrhoides vero adeo *turbate* fuere, ut *nunquam* amplius recurrerint, sed cum molestio *serpigineo* ardore alternaverint, quem eo usque celaverat patiens, donec in *perineo* suspectum *ulcus* ortum fuerat, quod ad vitæ finem illius subjeti duraverat, neque ulli medicationi obtemperaverat. Quod vero *feminas* male *Menstruatas* concernit, tunc illæ non raro ob *defectiva* Mensium vitia scædum illum *Fluoris albi benigni* affectum experiuntur, quem tenacissime *occultant*, cum illum non modo sibi maxime præjudiciosum & *inhonestum* reputent, sed & ex *alio* *feminino* morbo, cujus mentionem facere ipsas perinde *pudet*, ortum sciant: quo *diutius* vero ita afflictæ feminae hunc morbum occultant, eo magis non modo ipsius causa adolescit & *confirmatur*, sed ipse affectus increbescit, ut interdum omnem plane curam *respuat*: quare interdum hoc morbo *oppressæ* feminae sui mali longe *aliam* causam significant, nisi *aliunde* tandem hæc labe medico denunciatur: interim non modo sub tam *longa* celatione malum ipsum *inveteratum* redditur, sed subinde in locis *genitalibus* actuales & satis periculosæ oriuntur læsiones, maxime vero *ulcerationes*, *fungosæ* *concretiones*, *fistulosæ* *corruptiones*, *cancrosæ* *depassentia*, *illapsio* *vaginae* & *prolapsio* ipsius uteri, quæ, sub instituta demum cura *egerrime* etiam maxime providis atque dextris tractationibus medico-chirurgicis obtemperant: tale exemplum *fluoris albi occultati* in *malignum uteri ulcus* delapsi ex *Regnero de Graf* allegat *Bonetus* in *Polyalthe Tom. 3. p. 68.* imo evenit, ut non modo sub hoc fluoris albi malo feminae adeo tenaces & *taciturnæ* sanitati suæ graviter præjudicent, sed aliquando varia alia *incommoda* & *famae* suæ dispendia sibi concilient, quando hoc affectu detentæ

*nuptiæ*



nuptiū se collocant & à marito suo, quem tali modo *deceperant*, multum sibi *odium* contrahant: cum tamen illa *fœminæ*, si morbum suum *matute* confessæ fuerint, etiam a corporis & animi afflictione, ex hoc affectu proveniente, liberari poterint. ut *serius* de præjudiciosa & inconsulta sua *verecundia* conquerantur: imo quædam *fœminæ* tanto interdum occæcatur præjudicio, ut *infamie* macula contaminatas se æstiment, aut ut tales ab aliis declarari queant, quando *hanc* corporis sui calamitatem consentitur, judicent, cum tamen hic affectus ab *innocenti* causa, maxime quidem à mensium *anomali*o statu indies occurrere observetur: & quamvis peritus medicus, ex *doloribus*, de quibus *fœmina* querimonias effundit, *colore* faciei, statu *cachectico*, aut etiam successiva contabescencia corporis &c. *talem* morbosam afflictionem agnoscere possit, tamen hæc signa etiam in *alio* morbi statu occurrere possunt, proptereaque facile alius *minus exercitatus* medicus seduci potest: certiorum itaque & *securiorem* seletatur viam *fœminæ*, si vel *ipsa*, vel per *aliam* personam *sui* morbi confessionem subministrat: id quod tanto magis fieri debet, si *patiens* de morbi sui *origine*, *causa*, indole, essentia & statu *ambigere* observat medicum: Et hæc de nonnullis morborum calamitatibus, quæ ex *Hæmorrhagarum* in maribus & *fœminis* *anomaliis* provenire solent, annotare placuit.

§. VIII.

Sed dantur adhuc *varia alia* morborum specimina, quæ medicis *agri agrius* consententur, proptereaque interdum cum magno damno & *periculo* luere debent: horum nonnulla iterum hoc loco in *utroque* sexu obvia recensere volumus; quoties non contingit ut *Hernia* correpti, hanc suam calamitatem tenacissime contineant & *abscondant*, ne pro deperditis, corruptis & *inhabilibus* habeantur hominibus, daß man sie nicht vor Gebrechlich halte: siquidem maxime tales personæ suos morbos occultant, ne forte à cætu, aut *officiis* expectandis detineantur & excludantur, ne in spe impetrandi *diversos ho-*



nores, aut varia commoda, decipiantur, unde tacite varia artificia secum instituunt, ne in ullius notitiam hæc afflictio perveniat: interim aliquando periculosa superveniunt metamorphoses, ut funesti tandem consequantur eventus; sicut notatu dignus talis casus recensetur in *A. N. C. dec. 3. an. 10. obs. 4. de Enterocæle hæcenus occultata, serius tantem confessa*, ita *Helwigius obs. med. 107.* mentionem facit, *herniosi pudici, mortui*: quales paralleli casus sæpius in Praxi medica occurrunt: & sane aliquoties evenit, ut pueruli sub perulantiis suis in herniam incidant, quam diu occultant, donec interdum in alios periculosos morbos conjiciantur, cujusmodi exempla *D. D. Presidi* iterata vice in Praxi obtigerunt: Si enim ejusmodi ægri maturius morbum suum confessi essent, melior, citior & certior medela illis ferri potuisset: quid vero familiarius est, quam ut tam morosam reticentiam periculosa inflammationes excipiant: destituuntur itaque ejusmodi patientes sub repugnantia sua necessariis consiliis ex *Dietæ & Regiminis* ratione significandis, adeoque sub eadem inscitia quotidianis ferme erroribus se submitunt: quid quod aliquando evenit, ut miseri ejusmodi ægotantes calamitatem suam perito medico haud manifestent, interim imperito & imprudenti medicastro, empirico, balneario, chirurgo, ægyptæ aperiant, & sibi ipsis abyssum periculi & perniciæ struunt: nonnulli etiam talem morbosam afflictionem propterea reticere solent, ne dispendium in pinguiori connubio patiantur: & quo non alio quidam sepeliunt silentio, naturales quosdam effectus, quos si maturius detexerint, forte faciliorem sublevationem, si non plenariam curationem illius impetraverint! quodsi vero tragico quodam casu in locis secretioribus labem quidam susceperint, heu quam atrox interdum illius annotatur occultatio, donec tandem aut funesta pericula aut odiosa inde emergant jurgia & dissidia: quales casus posterioris classis aliquoties in forensibus negotiis occurrunt, in quibus



quibus causa *divortii* vulgo tractari solet: *conf. Delpbin. de Conjugio eunuchi*. Ita aliquando contingit, ut masculi, post *progressos* arduos morbos in locis *pubicis* varias mutationes subeant, v. g. *tumores* scroti, scroti *excrecentiam*, languorem *paralytodeum* genitalium & sic dictam *frigidityatem*, *herniam* ventosam, aut vicissim frequentes *pollutiones*, immo *dicas* & molestas *erectiones* genitalis membri, *metastases* *bubonodæas* in glandulas inguinales, frequentem *stranguriam*, suspectas *excoriationes*, aut ardentis, prurientes & serpentes *exulcerationes* in confiniis talium partium, insolitas *excrecentias* &c. quas sæpe cum multo *damno* nimis diu occultant, adeoque suam afflictionem confiteri detrectant: Quod vero iterum *Feminas* concernit, tunc illæ perinde varios locorum *pubicorum* affectus abscondere & cum *damno* reticere solent: & quemadmodum *feminae* *alvi obstructionibus* admodum *obnoxie* sunt, ita cum molesto sæpe *nisu* illam exonerare & *exprimere* nituntur, sub qua *expressione* *sphincteribus* *ani* atque *vesicæ*, nec non aliis adjacentibus partibus gravem *vim* inferunt, ut interdum in ano *protuberantiæ* quasi *semi hæmorrhoidales*, vehementes *ardores* *semi inflammatorie* commotiones; proinde vero *firmiores* *alvi obstipationes* & internæ *spasmodico-inflammatorie* comminationes suboriantur: quando vero subinde talem molestiam *diutius* celant, tunc facile in *actualement* periculosam inflammationem illa degenerat aut in suspectam *urinae conjunctam retentionem* & concurrentes *diversos renum* & reliqui abdominis affectus *spasmodicos*, *hystericos*, *colicos*, *ischiadicos*, *cardialgicos*, *vomibundos*, *asthmaticos*, qui ab illa occultata consueta *alvi obstructione* & *protuberantia* in ano *provocari* aut *exacerbari* possunt & solent: Et quot non *feminae uteri* *diversos* affectus, (quales prædictus *Varcelloni* *filius* describit) in *externos* etiam sensus incurrentes, tenacissime *celare* solent, de quibus mox sibi *ominantur*, quando illos *aperiunt*, tunc etiam illas *Medicorum* & *chirurgorum* *manibus*.



nibus ut subijciantur teneri, inde exclamant che ich mich vom Medico oder Balbier angreifen lasse, will ich lieber sterben, hinc mox ab initiis valde illatebrant suas afflictiones, donec summum *vite periculum* ipsis confessionem extorqueat & os aperiat: Seorsim quidem uteri prolapsionem initiantem multæ immorigeræ fœminæ cum extremo pudore celant, donec malum eo usque augetur, ut ferius demum medela ordinetur & *immedicabile* inde emergat malum: inde enim oriuntur perniciosæ *urinationes*, sicut in *A. N. C. loc. cit.* commemoratur casus de prolapsione vaginæ uteri occultata ischurie causa: simile exemplum obtigit *D. D. Præsidi* in juniori *innupta* fœmina, quæ à gravioris ponderis gestatione in uteri prolapsionem incidit, quam dum nulli confitebatur, periculosam uteri inflammationem cum febre acuta stipatam, sibi contraxerat, sub qua periculosa rerum facie demum morbi genuinam causam detexit: & quam obstinate fœminæ aliquando *alia muliebrium organorum pathemata* occulte ferunt, sive fuerint aliquando *verrucosa* concrementa, sive *intumescencie*, sive *serpigiosa* efflorescentiæ, sive *insoliti pruritus*, sive *inflammationes*, sive *ulcera*, donec *canerosum* interdum inde provenit malum, quod cum *corrosivo* quodam effectu aliquas partes depascit, aut periculosos *fistulosos* progressus facit: huc etiam pertinet, quando quædam fœminæ ex prægresso *difficili partu* & *rudiori* tractatione ab obstetricibus perpeffa, vel à *calculo vesicæ*, vel *mensium vitio*, vel *fluore albo*, vel *immodico coitu*, vel *abortu*, vel morbo *venereo*, vel periculosa & *morbosa graviditate* &c. *urine* incontinentia corripuntur, quam adeo pervicaciter & diu *occultam* habent, ut interea affectus valde *insolescat* & imposterum medelam congruam respuat, aut alia morbola pathemata conjungantur: quando ex peculiari humorum *dyscrasia* nonnullæ fœminæ morbosas & humo-  
rosas



rosas *secessiones* & *inflationes* in locis genitalibus experiuntur, quæ quandoque cum suspecta *emanatione*, molesto *pruritu* & *ardore* aliisque ominosis incommodis conjunctæ sunt, tunc satis illas interdum *afflictae* *fœminæ* *reticent*: sed eo ipso suspectam suo morbo *moram* concedunt: & quales non interdum in *conjugali* toro generantur affectus in partibus *genitalibus* *utriusque* *sexus*, quos conjuges aliquoties medicis significare turpitudini & *pudori* sibi ducunt, quorum successus proinde *fonticus* & *periculosus* aliquando evadit: unde iterum ex præsentibus *genitalium* partium evolutione facile liquet, quàm *frequens* sit occasio, quæ *afflicti* non nulli homines in *proprium* suum damnum, malum, quo laborant, non confitentur.

§. IX.

Neque quidem hæc tantum morborum specimina *ingenus* medicis confiteri integum est, sed supersunt adhuc *plura* alia, brevibus porro annotanda: quemadmodum itaque mares *initiantes* *insultus* *podagricos* callide celant, ita perinde *fœminæ*, quando cum *eodem* morbo corripiuntur, in *eximium* *pudorem* conjiciuntur, quoniam *sexum* suum mutasse videri possunt, de quibus *Podagricis* *fœminis* *Seneca* *Ep. 95.* dicit: *Maximus ille medicorum & hujus scientiæ conditor, fœminis nec capillos desuere dixit, nec pedes laborare: atqui hæc jam & capillis desituuntur & pedibus ægræ sunt: non mutata fœminarum natura, sed vita est; nam cum virorum licentiam æquaverint, corporum quoque virilium vitia æquaverunt: non minus pervigilant, non minus potant, & oleo & mero viros provocant; atque invitis ingesta visceribus per os reddunt & vinum omne vomitu remetiuntur; & porro: fœminæ beneficium sui sexus vitii perdididerunt: & quia fœminam exuerunt, damnatæ sunt morbis virilibus: Et*

E

quo



quo non tunc interdum pectore prædicæ sunt *Gravide*,  
 quæ vel graviditatem minus honestam, tenacissime negant  
 & celant, vel aliqua graviditatem comitantia signa & pa-  
 themata abscondunt: priorem circumstantiam quod attinet,  
 tunc sane non incogniti sunt, casus, ubi astute puellæ im-  
 prægnationem suam pro *hydropicis* quandoque tumoribus  
 tractare & æstimare permiserunt, donec ipsis cum subse-  
 quente partu aqua & fœtus evacuabatur! aliæ imprægna-  
 tionem ex simili fraudulento scopo pro *Mensium obstructio-  
 ne* habere & dirigere patiuntur, sub illa spe ut medicus  
*artificiose* abortum promoveat, ne ipse hujus criminis cul-  
 pam in se suscipere teneantur: talem casum enarrat *Valen-  
 tini Corp. Fur. Med. Leg. ff. Part. I. Sect. 2. Cas. 2. p. 56. conf-  
 Sylvaticus de his, qui morbum simulant cap. 13. Zacchias Qu-  
 med. Leg. Lib. 3. tit. 2. qu. 10. n. 9.* neque vicissim inexpertum  
 est, ut *hydrops* pro graviditate habeatur vid. *A. N. C. dec. I.  
 an. 1. obs. 1. Schol. p. 10. Bartholinus Cent. 3. hist. 6.* ejusmodi er-  
 roribus itaque aliquando congrua confessione fœminæ  
 succurrere possunt: quod vero *Gravidarum* pathemata quæ-  
 dam attinet, tunc in *ultimis* gestationis terminis, talia in-  
 terdum occurrere solent, quæ tenaciter fœminæ occultant,  
 videlicet fluxum uteri mucaginosum, instar fluoris  
 albi, intumescentiam labiorum vaginæ uteri, (qualis in *A.  
 N. C. dec. 3. an. 3. obs. 10.* & subinde ab aliis annotatur præ-  
 dictis,) *mariscas* aut *protuberantias* velut hæmorrhoidales,  
*pruritum* & ardorem in muliebribus, *excoriationem* harum  
 partium, *varicosas* inflationes in hisce locis obvias, eximios  
 dolores, quos etiam in exteriori *inflati abdominis* periphe-  
 ria experiuntur, diversas etiam *mammarum* afflictiones,  
 &c. qualia pathemata vel ipsæmet *domesticis* suis experi-  
 mentis delinire solent, vel ægerrime peritiori medico con-  
 sultentur & ab hoc securius & efficacius auxilium requi-  
 runt: proinde quædam fœminæ adeo *pudibundæ* sunt, ut  
 si in



si in *pedibus* tantum aliqualem morbidam afflictionem contineant, illam diu obtegant & reticeant, donec *periculum* immineat; hinc quædam pedum *ulcera* *minora* tamdiu abscondunt, donec in *gravio*rem statum accreverunt, quæ tanto tenacius occulta tenere solent, quando illa è *Mensum* vitii ortum traxerunt; de tali pedum affectu dissimulato *Acta Hassniensia* Vol. I. obs. 108. mentionem faciunt sub titulo: *Erysipelas pedis dissimulatum à femina lethale*: Quod vero porro attinet nonnullos affectus, qui *prægressum partum* *difficiliorem* excipere solent, tunc satis sæpe per *initia* *scemina* illos celare solent, à quibus solenniores sunt, uteri *prolapsio*, *hernia*, *incontinentia urinæ*, *molesta abdominis inflatio*, *fluor albus* post partum, *dolores lancinatorii* in *vagina*, quos nominant *Schneiden* in *der Geburt*, nimis diuturnus *Lochiorum fluxus*, *factor ex utero* *expirans*, *ardor urinæ*, *stranguria*, *procidencia ani*, *anomalie* quoad *Mensium fluxum*, vitia alia quoad *diuresin*, *tenesmi*, *mariscæ hæmorrhoidales*, *repetitæ serpigino*se efflorescentiæ in *muliebribus* organis & *ano*, *insolitæ intumescentiæ* *labiorum vaginæ*, *pustule* *varosæ* in *vagina* *uteri* hujusque *labiis* &c. & tales satis intricatæ interdum molestiæ & afflictiones, quia loco *pubica* affligunt, *scemina* quandoque cum multo damno occultare observantur, quæ *melius* suis afflictionibus consulerent, si *mature* illas medico confiterentur; quas si ob pudorem *immediate* denunciare erubescunt, commode per alias *animosiores* *sceminas* medico aperire possent, ne graviora inde emergant pathemata: & quam eximio *virgines* continentur *pudore*, quando vel pedes *oedematosos*, vel *ulcus* in pede aut reliquo corpore gestant, ut *dedecori* sibi ducant, quando tale quid propagare debent, inde forte illa famæ suæ præjudicans obtreccatio, sie hätte einen offenen Schaden, hätte geschwollene Beine &c. ob id *calumnias* & obtreccationes expavescentes,



res, talem morbosam afflictionem maxima condunt taciturnitate: Quoties etiam contingit ut foeminae ex frequenti *alvi obstructione*, aut *irregulari Mensum statu praetumido* & molesto ventre affligantur, qui non modo pudicas foeminas *deformes* reddit, sed & ad *consequentes* varios alios *morbosos* affectus disponit, velut ad valde ominosos *flatulentos* cruciatus, ad *tympaniticum* statum, ad *cardialgicos*, *asthmaticos*, *cachecticos* affectus, ad cordis palpitaciones, se- & excretionum turbas, &c. qualem intumescenciam abdominis non modo saepe perveraciter *negant* & celant, sed quibusvis aliis subsidiis ex vestimentis & cycladibus mit weiten Weiber oder Reiß-Nöcken abscondunt, ob id vero posthac sui mali citiores & *vehementiores* gradus & progressus experiuntur: quando etiam vel masculini vel foemini sexus subjecta, aliquando leniores *Luxationes* patiuntur, quae successive aliquam singularem corporis *deformationem* afferre videntur, tunc saepe contingit, ut afflictæ personæ, priusquam *virum in arte peritum* in consilium convocent, *alia* externa adminicula conquirant & malum corporis sui tamdiu *callide* occultent, bis sie sehen wie weit es mit ihren Mitteln zureichen will, hinc varia auxilia usurpant, quae veteribus *Analectides* audiunt ausstoyfende Mittel, quibuscum praesentes nævos aliquo modo *emendare* & aliorum animadversionem declinare laborant.

§. X.

Multa quidem hactenus morborum specimina commemorata fuere, in quibus ægri *ingenua* quadam *confessione* medicis suis haud succurrunt, sed vel ipsum *morbum* vel illius *causam obstinate* abscondunt, imo aliquando plane *negant*: hisce casibus adhuc annumeramus, quando aliquando quidam homines vehementi *ira* incitati fuere & hinc



hinc repente in *arduos*, sed subinde *confusos*, morbos incidunt, sicut alias morbi *ex ira* nati admodum *intricati* sed *precipites* esse solent, quorum morborum *genuinam* causam interdum *ægotantes* tenacissime celant, quoniam ob *prægressum* immoderatum affectum in justum pudorem incidunt; & si *medico* perito non ex diversis signis indoles morbi constaret, proptereaque in illius *causam* sollicitè ipse inquireret, sæpe cum magno vitæ periculo hanc causam *ægrî* obtegerent, aut *serius* tandem denunciarent: de talibus dicit *Botallus de medici & ægrî munere* §. 60. *sunt qui aliqua clandestina libidine flagrant, nonnullos viri operta ira, vexat alios timor secretus, alios tacita cura exercet: quæ omnia morborum sunt fomites ac causæ, plerumque à medici captu abdite, nisi referantur: adeo pertinax est hominis animus ut cum erroribus & peccatis suis semper aut latebras aut refugia quærat, licet hæc occultatio nihil quicquam utilitatis afferat.* Proinde *pervicaces* morborum occultationes sæpe obtingunt, quando *prima malignorum* affectuum *miasmata* grassantur; unde *contagiosæ* febres non *genuino* suo titulo indicantur, sed vulgo de ipsis denunciatur, es sey ein *starefes hieziges Fieber*: communis sane fama fert, quomodo *prima Pestis* incrementa *pertinaciter occultentur*, donec peritiores medici *Loimiatri*, nedum quidem amplius *ægrorum confessiones* expectant: & si jam ipsa *pestis* sua *acerbitate grassatur*, heu quam *callide* infecti homines *luem* suam celare solent, ne in publica *abripiantur* *nosocomia*: unde ex *matura* hujus contagii confessione, magis *opportuna* medela huic malo ordinari posset, quod, quoniam sub tanta occultatione tam diu sub *favilla* ardet, tandem in tam *enormen* cladem erumpit: & hic ferme *communis* viget error, quando *contagiosi* quidam morbi *mortalium* corpora invadunt: idem contingit in illis, qui *clanculum* *maligno* morbo *oppressos* *visitant* & subinde *eodem*



*inficiuntur* miasmate, quo diu hanc infectionem reticere solent, adeoque bene suis rebus consuluisse sibi persuadent, si hanc prægressam *infectionem* minime confitentur: In hanc classẽ illi etiam referri possunt, qui *venereo* quodam inquinamento correpti sunt & de *causa* mali probe *conscii*, illam nihilominus in mitiori æque ac graviori gradu pertinaciter occultant, unde non modo sæpe diu *ambigunt*, an de morbosa sua affectione medicum *consulant*, subinde vero huic infectioni semper *moram* concedunt, ut *firmiores* radices agat, donec tandem post varia alia experimenta, scarificationum, purgationum, sudationum susceptrarum, medicum in consilium vocent & satis *confuse* morbum ipsum significant, aut longe *alias* & *peregrinas* causas indicent, hincque remedia contra *acrimeniam sanguinis*, aut specialiori titulo sanguinem mundificantia, edulcorantia &c. aut medicamina spasmi & catarrhis opposita, wie der Glieder-Reissen, scharffe und gesaltene Blisse requirunt, & sub tali *pallio* & tegmine satis diu medicum detinent & decipiunt, qui etiam bona fide andabatarum more cum spasmi, rheumatismi, catharrhis, acrimonia sanguinis, scorbuto &c. pugnat, donec successive magis magisque *vera* mali indoles se manifestet: quod de *genere* dictum fuit, id valet etiam de *specie*, hinc interdum cum hujus huius contagio infecti homines virulentum feminis fluxum, tumores, bubones, ulcera, dolores osteocopos, vel corrupte & *intricate* indicant, vel plane abscondunt: huc spectat quod Botallus de *medici & ægri munere* §. 60. differit: *sunt qui a medicis obliquam opem postulant, simulantes, se capitis dolore premi, vel estu nocturno, vel quopiam alio simili, cum nullum horum adsit, sed pudendi ulcera, que fateri stulte non audent, cupientes duntaxat a medico purgationem elicere, vel simul sanguinem mitti, freti hoc solo præsidio univer-*  
*sali, circa partis affectæ curam particularem, se salutem conse-*  
*cutu-*



tuturos; quorum nihilominus plerique transacto uno vel altero mense, imo die non se medicos sefellisse, sed semet ipsos perdidisse intelligunt: neque quidem tantum varii patientes praesentem infectionem veneream alto silentio opprimere observantur, sed & praegressos tales morbos tenaciter interdum reticere solent, adeo ut ex illorum reliquiis, velut morbis spasmodicis, iniciantibus contracturis, aut paralytoideis afflictionibus, tumoribus duris & refractariis, doloribus confusis & intricatis in articulationibus membrorum, medicus interdum veram morbi causam detegere haud valeat, nisi patiens ipsam de praegresso morbo certior reddat: id quod tanto magis necessarium erit, quando prima hujus mali semina non exacte eradicata fuere, ut ex relicto quodam seminio semper novi morbofi insultus prodeant: cujusmodi casus in Praxi medica perquam cogniti sunt, praecipue, quando in talibus aegrotis cura per salivationem praegressa, praemature abrupta adeoque insufficienter peracta fuit, hinc valetudinarii ex tali calamitate manumissi, semper sperant, ut ab alio artifice citra novam confessionem, alia methodo absolvi queant: Porro in evolutione aut indagine sterilitatis feminarum, quandoque occurrit ut foeminae, scitu dignam quandam circumstantiam occultam teneant: ita enim constat, quomodo ob praegressam infectionem veneream, minus percuratam, impraenotio aegrius succedat: aut quomodo ob adultum & diuturnum quoddam ulcus, conceptio impediatur, aut quomodo ob irregularem mensium successum, praegnantia impediatur, vel quomodo ob suorem album intercurrentem, ob praegressos abortus, ob pathemata hysterica, &c. conceptio aegrius succedat, quales causas interdum ita afflictae foeminae perinde reticere solent, ut medici propterea teneantur multiplici exploratione has causas detegere: Et quot non puerilis aetatis subiecta morbos ex petulantia contractos  
 cela-



celare deprehenduntur, quorum causas ob merum pœnæ minime confitentur, quo ille casus pertinet, cujus *Hildanus Cent. 1. obs. 5.* reminiscitur, de pisco in aurem immisso, quod ultra anni spatium non sine gravi molestia in eodem latitavit: quo etiam spectat ille casus qui *D. D. Præsidis* curæ olim oblatus fuerat, ubi tiro opificis lectiminga, aliquoties huius vitii promeritas subiit pœnas, qui ad evitandam pœnam aliquando cubitum abiens præputium cum graciliori deligabat filo, tunc vero per noctem in gravem tumorem & inflammatorium genitalium & inguinalium regionum affectum incidit; accessit proxime febris, insolitus abdominis tumor, dolor internus intensissimus, tacente constanter puero, donec ipsius curæ & vigiliis adfidentes eundem de urina mittenda conqueri perceperant, non tamen observabant, ut post triduum urinam emiserit, hinc tandem causa detecta fuerit, cum genitalium jam sphacelatio immineret, à qua tamen, ipse adhuc opportuno tempore servatus fuerat patiens: Et quid dicamus de hominibus nunc in *Melancholiam inclinantibus!* hi contumacissime *animi & corporis* morbum ce- lant, semperque regerunt *mir seht nichts, man lasse mich nur alleine:* & dum jam ejusmodi ægri animo valde sunt perturbati, ita hoc ipsos male habet, quando de statu sanitatis interrogantur; & quando jam *aliquo gradu* desipere inchoant, nihilominus *integram* affectant sanitatem secundum illud germanorum dictum die Narren wollen immer die Klügsten seyn: unde in *mittori* melancholia mentis *turbas* haud confitentes ægri malum suum eo usque *fovent*, ut indies increseat.

§. XI.

Ultimo denique loco nonnullas alias occasiones indicare lubet, in quibus valetudinarii medicis suis scitu dignas



dignas quasdam circumstantias oculere aut minus fido animo confiteri solent: sæpe enim contingit, ut quando nonnulli ægotantes varia *privata vana & confusa* experimenta proprio ausu instituerunt, aut per multa *medicamentorum* tentamina devoluti sunt, ut nunc fatua anus, alibi subbasilicanus, scabiosus & ambitiosus sartor, hinc perditus alchymicus, mox opilio, carnifex &c. pericula in eodem fecerint, tandem ad medicum *peritum* causâ deferatur, cui processus hætenus instituti callide & tenaciter abnegantur, cum tamen morbus per tot *iniquas* manus hætenus tractus, confusam & *corruptam* indolem denoter, ut facile prudenti medico innotescat, quam varii & *multiplices* labores circa eundem ægotantem occupati fuerint: interea tamen res ita tractatur, quasi patientis talis nunc prima vice medicum in consilium trahere suscipiat, neque unquam antehac morbum suum alteri imo plane medicastro aut impostori, saculario & jactatori concediderit; interea hætenus decepti & corrupti ægri perito medico haud errorem suum confitentur, sed sub hac sua calliditate sperant, quo medicus citra animadversionem prioris commissi erroris, morbum emendare & ægri absolutionem quasi medicam sine confessione medica intervertere aut callide furripere queat: quare & ægotorum *saluti* & medicorum *prudentiæ* interest, quo ejusmodi fraudes denunciarentur, ut causa corruptionis significetur & medicus, quantum adhuc fieri potest, ejus subjugationi operam dare possit: Subinde etiam obstinate & cum multo *timore* & *verecundia* occultantur morbi ex pravo, libidinoso, immodico & multis difficultatibus obsepto amore in utroque sexu occurrente, qui quandoque causa gravissimorum, ut plurimum vero maxime *confusorum* morborum est, ut medici ipsi interdum ambigant de indole morbi sub moderata exploratione & ac-

F cusa-



eulatione der Krancke müſte ein innerlich Anſiegen haben,  
 ſicut talis caſus de *Amore occulto apthonie cauſa* allegatur in  
*A. N. C. dec. 1. an. 6. obſ. 136.* proinde etiam *Horſtius de Na-*  
*tura amoris* fuſſoreto hujus obſervationis mentionem facit:  
 neque quidem multis testimoniis opus est, cum inter pluri-  
 mos practicos ſub titulo, melancholiae, Erotomania, Chlo-  
 roſeos, Febris virginum, Leucophlegmatia & vitiſorum  
 menſium, affectus hypochondriaci, febris erraticæ, phlo-  
 goſeos &c. hujus circumſtantia mentio injiciatur: hinc  
 illi caſus in praxi medica innotescunt, quomodo *viroſe vir-*  
*gines* in varia *motuum* vicia incidant: inde *confuſe Febres*,  
 implicati animi morbi, pathemata velut hysterica, synco-  
 ptica quaſi apoplectica, mox spasmodica, febrilia, asthma-  
 tica, cordis palpitationes, &c. oriuntur & ſub pertinaci ta-  
 citurnitate & occultatione amoris affectus *ardet*, niſi libido  
 aliquando confeſſionem exprimat: quamdiu vero verecun-  
 dia hanc cauſam opprimit, tam diu affectus *morbosus* &  
 gravitate & confuſione ſua *increbeſcit*: id quod de mascu-  
 lino æque ac ſequiori ſexu valet: inde etiam eſt cur aliquan-  
 do *menſum anomalie congruis* cæteroquin therapiis *haud*  
*obtemperant*, dum illa ab affectu *interno* amoris *occulto*  
*ſemper enutrientur & roborantur*: Ad eandem etiam mor-  
 borum claſſem referri meretur famigerata *Noſtalgia*, cujus  
 cauſam per *initia* ægrotantes non ſtatim conſtitentur, ſed nu-  
 dis confuſis meditationibus aliisque deſideriis hanc ſuam affli-  
 ctionem attentis & prudentibus ingeniis prædunt: ne vero  
 quemquam opinio occupet, quaſi hic affectus intimioris Hel-  
 vetia incolis tantum familiaris exiſtat, proptereaque ad alia  
 loca applicari haud queat, hinc communia hominum deſi-  
 deria, per univerſum orbem nota in ſupplementum prioris  
 oblocutionis allegamus, licet analoga deſideria, redeundi  
 in patriam & commercium conſanguineorum non æque in  
 praxi medica ignota ſint: quantum vero ab initio angoris  
 &



& connexa morbosa afflictionis agri *veram* causam abscondere soleant, perquam medicis cognitum est, ut propterea per modum proverbii morbum animi occultum quidam appellare fuerint die *Schynsucht*, cujus affectus hoc loco non aliter reminisci lubet, quam in quantum illius proxima causa & vera radix medico interdum pervicaciter occultatur: Porro accidit quandoque in praxi medica ut malitiosi homines assumptum *venenum* obstinate dissimulent, neque ulli hoc *veneficium* aperiant, ut medici aliquando ad *aliarum* causarum accusationem seducantur: adeo pervicax enim quorundam hominum animus est, ut cum hoc poculo mortis, etiam *causam* suae *mortis* sepeliant, donec *veneficium* & *autocheiria* ex scrutinio *anatomico* inclarescat: ita enim tales tragici casus in variis causis admodum cogniti sunt, ut illos in dubium vocare haud licet, quod imprimis de hominibus ex *vite tadio* afflictis aut desperatis valet: sicut aliquando ex *melancholia hypochondriaco-splenetica* nonnulli homines in talem autocheiriam delabantur, cujus causam moroso & obstinato animo suppressere solent, uti ipsorum animus *alias* sibi constans *tenax*, taciturnus & *absconditus* esse observatur: Denique illam *Legalem* considerationem praecedentibus observationibus annectere placet, quomodo propter delicta quadam nonnulli in *captivitate* detenti homines morbos *dissimulant*, illorumque *causas*, quantum ipsis quidem consciae esse possunt, firmiter celant, imo aliquando plane ipsum morbum tanta animi pervicacia occultant, ut in carceribus ultimum diem subire, quam decretum supplicium in se suscipere malint & licet ejusmodi subjectis ob eminentia quadam signa medici periti adhibeantur, tamen iterum tanta in illis praevalet contumacia, ut intra carceres perire magis gestiant, quam publicam penam subire patienter secum constituant: hinc aliquando *custodibus* culpa imputatur, quando in carcere quidam mortuus



deprehenditur, ut propterea Criminalista illiam quaestionem  
 moveant, an *in carcere mortuus praesumatur culpa Custodis*  
*obiisse vid. Furinacius Opp. Crim. qv. 24. n. 54. seq.* Hisce ve-  
 ro haectenus explicatis demonstrare placuit & directa & indi-  
 recta propositione & commendatione, *in quibus casibus Con-*  
*fessio aeri erga medicum necessaria sit:* Plura addere non lubet,  
 quare praesentem tractationem divinae consecramus benedi-  
 ctioni, ut aenea nonnullorum agrotantium pectora recludan-  
 tur, maxime vero Gloria altissimi & salus proximi  
 ad vota nostra promoveatur.

---

Erratum p. 8. lin. 31. *obdurate sua.*














ULB Halle  
002 815 230


3











B.I.G.

Farbkarte #13

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
CONFESSIO NE ÆGRI ERGA  
MEDICUM,

1724 68

in der Ehren-Beicht des Francken gegen den Arzt.

Q V A M  
AUSPICE DEO PROPITIO  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiosæ Facultatis Medicæ,*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R Æ S I D E

11

**D. MICHAELE ALBERTI,**

POTENTISSIMI REGIS BORUSSIÆ CONSILIARIO AULICO,  
ET PHILOSOPHIÆ NATURALIS PROFESSORE PUBLICO ORDINARIO,  
FACULTATIS MEDICÆ DECANO SPECTATISSIMO,  
UNO PATRONO, PRÆCEPTORE AC PROMOTORE SUO OMNI HO-  
NORIS CULTU PROSEQUENDO,

PRO GRADU DOCTORIS

OMNISQUE IN ARTE SALUTARI HONORIBUS, INSIGNIBUS  
AC PRIVILEGIIS MORE MAJORUM SOLEMNI OBTINENDIS,  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS,  
ANNO MDCCLXXIV. D. MART.

PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET,  
**H. CHRISTOPHORUS SCHORTMANN,**  
BUTTSTADIO - THURINGUS.

